

QVÆST. I.

Quomodo manuducendi sunt, qui dubitant, an è numero Electorum sint?

I.

EXperire an Christum ames, amorem ejus in te sentias, Christo te oblectes; qui autem Christum amat, qui Christum ut Salvatorem unicum colit, qui per Christum vitam æternam se adepturum certò confidit, utique certissimus esse potest de electione. Qui credit in me, habet vitam æternam,

2. In cor descende, an certus sis de peccatorum remissione per Christi vulnera. Si hoc, utique electus es. Rom, 4. Beati quorum remissæ iniquitates. *Dicas*, Undenam certus esse possum de peccatorum remissione? Resp. (1.) Si fuerit in te seria, & humilis peccatorum confessio, 1. Iohan. 3, 9. (2.) Si fiduciam habes in meritum Christi, cujus tanta vis, & valentia, ut quanquam cor nos condemnet, nihil tamen à condemnatione periculi sit.

3. Vitam tuam expende, an alacer sis in audiendo verbo; (oves meæ vocem meam audiunt) an proximum ames, & non injurius sis in eum; (Domine, quis commoraturus est in habitaculo tuo, Psal. 15. Adeste benedicti, inquit Christus, esurivi enim &c.) an vitam quotidie emendes; (solidum Dei fundamentum stat, novit Deus, qui sint sui, & abscedat ab injustitia &c.) *Brochman*.

QVÆST. II.

An, qui semel inscripti in librum vitæ, inde deleri & æternum perire possint?

Ii, qui ab æterno in librum vitæ sunt inscripti, inde deleri non possunt, nec perire, nam si perirent, non fuissent inscripti seu electi ad vitam. Nam quos Deus præscivit, hos prædestinavit, quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, justificavit, quos justificavit, eos etiam glorificavit. Rom. 8. Cujus catenæ ansulæ ita cohærent, ut cui non

non